

et modo servio regi celesti, unde debes potius exultari; quia talis et talis in illa regia curia servientes in modico facti sunt ille advocatus, ille notarius; sed nunc, obsecro, ubi sunt?“ Et relicto statim patre discessit; et interrogatus ab illo, quo pergeret, „scies“ inquit et abiit.

Inde prius adiit cenobium Sambucinę, velut^{a)} semper et in omni loco Hierusalem viros desiderans invenire virtutum, qui in carne non carnaliter ambulantes futurę signa pacis et caelestium gaudiorum stigmata^{b)} representant.

Infra illud anni circulum secessit in alteram partem vallis, que respicit ortum solis, et in Rende montibus, ubi vadum dicitur Gaudielli prope^{c)} fluvium, qui dicitur Surdus et descendit in Rendam. Per annum ibi deguit Rendensi populo iam non surdis auribus audienti pŕeco^{d)}, quotiens se dabat occasio, verbum Dei tunc in verbis gratie, que de unctione spiritus procedebant^{e)}, se fructificare cognoscens. Sed metuens, ne forte peccaret pŕedicationis officium sine ordinis ecclesiastici dignitate presumens, adeundum duxit episcopum Cathagensem¹⁰⁾ sacros ordines citra sacerdotium recepturus.

Accidit igitur, ut vadens et rediens per monasterium Curacense transiret, ubi ex doctrina sua cognitus a quodam nobili Greco monacho¹¹⁾ quinam esset adventus est^{e)} illo verbo, quo adversus servum pigrum super talenti retentione Dominus in Evangelio legitur¹²⁾ exterruisse. Cuius sententię recordatus extimuit, et tunc primum de conversione promisit^{f)}, ad cellam rediit et festinanter depositis omnibus Curatium reversus sub abbate Columbano columbine religionis habitum assumpsit.

Et infra regularis probationis spatium ad monastice perfectionis veniens incrementum, non multo post factus est prior fratrum. Denique memorato patre quedam suborta scandala declinando cedente, loci fratres de abbatis ordinatione tractantes in priorem suum unanimiter^{g)} convenerunt. Quod cum ille percepit, exemplo^{h)} Domini rex fieri nolens, exiit et abscondit <se>. Et primum quidem cupiens quiete vivere se ad ecclesiam sancte Trinitatis in finibus Acreiⁱ⁾ contulit. Sed ibi com-

^{a)} qui ut *Hs.*, quo ut *B.*

^{b)} stigmata *Hs.*, *B.*

^{c)} propter *Hs.*?, *B.*

^{d)} pŕecones *Hs.*, *B.*

^{e)} et *Hs.*?, *B.*

^{f)} promissit *Hs.*, *B.*

^{g)} humaniter

Hs., *B.*; unanimiter *L.*

^{h)} exempla *Hs.*, *B.*; exemplo *L.*

ⁱ⁾ Acri *B.*; in finibus terrae Acreae *L.*; *s. o. S. 486 mit Anm. 60.*

⁹⁾ *Vgl. Luc. 4, 22.*

¹⁰⁾ *S. o. S. 486 mit Anm. 58.*

¹¹⁾ *S. ebd. Anm. 59.*

¹²⁾ *Matth. 25, 27 f.*